



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-761985-p0001-9

DFG



300 3. Dic. 1742

W 359

IO. HERMANNVS BENNER

D. ET PROF. THEOL. ORD. AC PAEDAGOGIARCHA  
ACADEMIAE H. A. RECTOR

Q. HORATIVM FLACCVI

*Carm. lib. I. od. XIII. v. I. 2.*

A  
PRAECIPITI CENSVRA  
RICHARDI BENTLEII  
ANGLI

VINDICAT

VI. ALVMNI ILLVSTR. PAEDAGOGII GISSEN  
IN ACADEMIAM TRANSMITTVNTR.

---

GISSAE

EX OFFICINA IOANNIS MULLERI.

GYMN. HALD.

EXDON.

THEOD. SCHMID.

L 54

1742

Pr.



S. L.

**Q**VAM lubrica fit & praeceps ad lapsum via, si quis ad bonos scrip-  
tores emaculandos, non alia quam ingenii sui lucerna instruc-  
tus, nullis tabulis & monumentis adiutus, quin & his omnibus,  
quae suppetunt, abieciit ac damnatis, adgrediatur; iterum BENT-  
LEIVS exemplo suo comprobabit. HORATIVS Romanum quandam  
adolescentem, perditissimum hominem, inque fedas libidines proiectum, facto  
TELEPHI nomine compellat Carm. lib. I. od. XIII. v. 1. eidemque cerea tribuit  
brachia.

*Ceruicem roseam, cerea Telephi  
Laudas brachia.*

§. II.

Temperare suae falei non potuit, criticorum perspicacissimum, quin vocabulum *cerea*, plane demeteret, substituto in eius locis *alma*, *lactea*, *brachia*. Rationem, quā sit ad eam rem adductus, accepi: *Omnis opinor, quotquot hodie extant membranae in ea lectione* (prifca vide-*licet et vulgata, quae cerea exhibet*) *consentiantur, firmatque SERVIVS ad Virgil.*  
*eclog. II. addam cerea pruna)* *aut cerei coloris, aut molia.* Horatius, *cerea Telephi*  
*landas brachia.* *Inre tamen diffiscit Iuliu Scaligero: cuius verba haec sunt: Cum*  
*dixit roseam cervicem, cerea brachia colorem quoque indicare sufficiabitur; sicut apud*  
*poetam cerea pruna: profecto plus sapientia lactea.* Interpretes quidem in omnes partes  
se versant, & illud *cerea*, quasi re vera *cervum* esset, in quoscumque volunt sensus  
fleunt finguntque, ut antiquum summi vel defendere vel ex:scire videantur: sed  
laterum plane lauant. *Quid enim? an cerea de colore interpretantur?* at feda-  
res est color flauus in brachia, qualia sunt itericorum. OVID. *Pont. I. 10, cum*  
*morbo laborabat,*

*Parvus in exiles succus mihi peruenit artus.  
Membraque sunt cera pallidiora noua.*

*Memoriam quae sunt a cetera pectora nostra.*  
*An cerea sunt pulchra, tanquam que in cereis imaginibus videmus, ut VIRGILIVS  
ceruicem marmoram Georg. IV. 523. & manum MARTIALIS VIII. 56. habent. At-  
qui illuc marmorea est candida, & colore notai non figuram, Hor. I. 19. Lucret.  
II. 764. An igitur cerea brachia sunt lenta & mollia, ut Nostr Epod. XV. Lentis  
adhaerens brachii? sed & hoc nihil magis sanum est. Quamuis enim cera mollius  
est & tactui cedit, vestigium tamen imprimit seruat, ut solet hydropicorum caro,  
qua nulla turpior imago est. Quodsi aut horum villo, aut alio quovis sensu, recte  
dici possent cerea brachia: imprudenter tamen, ut vere Scaliger obseruauit, post*



17WB127

roseam ceruicem cerea brachia nominauerit Noster, ne forte lector vtrumque epitheton de colore suspicetur dictum, & pro formo liridum Telephum imaginetur.

§. III.

Quid igitur siet? Bene sit vetustissimo Grammatico, Flavio Capro, qui solus rem impeditam soluit, & Horatium omni culpa liberat. Is narrat p. 2242. ut inter se differant lactans, laetens, lacteum. Lactans, inquit, qui decipit. Laetens, lacte abundans, velm lactens fucus, Lucilius: lactentia coagula cum melle bibi. Lactea candida sunt, ut LACTEA LAVDAT BRACHIA dicit Horatius. Haec opportunitissime sane Caper. - - Quid autem dubitamus, tam bono auctore, genuinan lectionem agnoscere?

- - lactea Telephi  
Laudas brachia?

De lacteo collo postea VIRGILIVM aduocato Aen. X. 137. VIII. 660, & NEMESIANVM II. 80. Addit, candorem perpetuo laudari in brachiis, idque ex OVIDIO comprobatur.

§. IV.

Haec fusius, quam velim, descripsi oportuit. Nunc pro re pauca. Primo quoquod vel manu descripti vel aere deformati codices inueniuntur, miro consenuit cerea ponunt. Quamobrem ab ista lectione haud recendum fuit. Deinde CAPER grammaticus fructu, nisi fallor, aduocatus est. Non enim ignorabat clarissimus BENTLEIVS, quae sit in hoc genere grammaticorum fides & auctoritas. Sensus saepe scriptorum, non verba recitant, neque raro memoria falluntur. Quam multi sint in ea re lapsus illorum hominum, dici non potest; atque simile quiddam hic obtinet, illi patrum, quos vocant ecclesiae, confuetudini, qui multa sacri codicis oracula non verbis, sed ex mente scribentis, interdum & praeter illam, recensent. Neque tamen aeneo praeceps quisquam temer eue nobet, qui talibus e patrum locis, refingere libros sanctiores vlla pacto conetur. De latinorum grammaticis non nihil attingam: MARIVS PLOTIVS de metris p. 2602. EX HORATII Od. IV. lib. 1. ita recitat: Iam Cytherea choros venus dat: cum in HORATIO sit: Iam Cytherea choros ducit venus. Idem pag. 2603. ex eadem Oda, vſſit, pro viri, exhibet; in quo tantum est, ut acquiescat BENTLEIVS, ipse vt visit potius quam vſſit, rescribat. Nempe i nostro mos est, ut ipsum quoque grammaticum torquat, si quando spem aidam frustratus est. Addam e QVINTILIANO locum VIRGILII eclog. I. vbi silvestrem Misam, memoria male fretus, in agrestem commutat. Quis ideo MARONI manus iniiciet, & propter QVINTILIANVM memoria peccantem, ipsum quoque carminis auctorem peccare iubeat? Et cur quaeſo BENTLEIVS eosdem incipit grammaticos, conjecturae nimurum suae parum fauentes? MARIVM dico VICTORINVM, cum i ex Ode XXXII. aſſi- uam umbram pro aura dedisset. Cur toties reprehenditur in eadem culpa SERVIVS? e quo id unum hic memoro, quod e carmine ſacculari HORATII, ſcholiis ad eclogam Virgilii IV. haec, memoriae vito, retulit: Sine te Lucinam probas vocari, ſeu te penitus Ianonem. I nunc & HORATIVM ita iube nugari. Quid? quod CAPRO occurſat SERVIVS, & pro vulgata lectione propugnat. Quo iure CAPER, eodem SERVIVS vtetur. Haec enim vtriusque pars sit auctoritas. Verum, fi ad SERVIVM tanta nubes accedat testium, qui vel manu exaratos, vel typis excusos FLACCI dedere codices: quid tum de CAPRO fieri? Bene fit SERVIO, qui veram nobis HORATII lectionem feruauit, obtusis CAPRI cornibus, quibus illam impedit recentior ARISTARCHVS.

§. V.

§. V.

Alterum addemus. *Cerca brachia omnino sunt candida.* Profecto leue putandum est, quod vir tantus aduersum hanc notionem molitur. Fieri non posse arbitratur, ut nivem intelligatur quod quis cereum dixerit. Quodsi docuerimus, candidum cerae tribui colorem, non video quid cum ratione FLACCO possit obuerti. Euoluat si quis volet, PLINIVM hisf. nat. lib. XXI. cap. XIV. p. 137. edit. HARDUIN, vbi cera Punicarum vocatur candidissima. Apud DIOSCORIDEN lib. II. c. 105. est οὐράνιος, HESIODVS theogon. v. 597. de apibus: οὐρανίη οὐράνια, faciunt cellulas ceras albas. Quibus addi potest OVIDIUS fast. lib. I. 186.

*Et data sub nivio candida mella fauo.*

Ita namque cum VOSSIANO, ARVNDELIANO, & alius non nullis recte legitur. Atque notandum, qui fauus hic nivus, alibi candidus vocatur, OVID. metamorph. VIII. 674. s<sup>r</sup>.

Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,  
Prunaque, & in parulis redolentia mella canistris,

*Et de purpureis collectae vitibus vase.*

CANDIDVS in medio FAUVS est.

Mel vero in fau suo, in mensis poni solitum, testis est PETRONIUS cap. XXXV. p. 149. edit. BVRMANNI, qui & ad OVIDII locum modo monstratum, consuli potest. Verba PETRONII sunt ista: *In medio autem cespes cum herbis exesis fauum sustinebat.*

§. VI.

Haec ad praefens institutum sufficient. Superest, ut supremum diligentiae probatique cultus testimonium lubentes impertiamus optimae specie adolescentibus, qui in illustri Paedagogio, quod Gissae floret, hoc verno examine peracto, dignissimi sunt reputati, quos academicae libertati transcribamus. Quae res sollemni ritu, Decano philosophici ordinis spectatissimo, Dom. IO. FRID. AYRMANNO, die XII. Cal. Aprilis, praefente amplissimo PHILOSOPHORVM SENATV, concentus inter musicos peragetur. Nomina sunt ista:

Philippus Melchior Sieber, Giffenfis.

Iustus Bernardus Creutzer, Lutzellindanus.

Ge. Conradus Steinberger, Giffenfis.

Ge. Balthasar Schiwy, Giffenfis.

Paulus Henricus Scheußler, Rotenburga Hassus.

Io. Henricus Graner, Freiburgensis.

Quos quemadmodum idoneos academie nostrae ciues fore speramus: ita serenissima musis nostris fata, reique per Hassiam scholasticac me- liorem fortunam precamur. Gissae X. Calend. Aprilis

cl. 10CCXLIX.



ULB Halle

006 346 758

3





3.00 3.00

M 359

IO. HERMANNVS BENNER

D. ET PROF. THEOL. ORD. AC PAEDAGOGIARCHA  
ACADEMIAE H. A. RECTOR

Q. HORATIVM FLACCVI

Carm. lib. I. od. XIII. v. I. 2.

A

PRAECIPITI CENSVRA  
RICHARDI BENTLEII  
ANGLI

VINDICAT

LVM

VI. ALVMNI ILLVSTR. PAEDAGOGII GISSEI  
IN ACADEMIAM TRANSMITTVNTVR.

GISSAE

EX OFFICINA IOANNIS MVLLERI.

GYMN. HALB.

EXODON

THEOD. SCHMID

